

**Dissertatio medica inauguralis, de febre puerperali ... / eruditorum examini subjicit Henricus Slaughter.**

**Contributors**

Slaughter, Henry.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qr93gbbv>


**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERALI.



FERRIS PURPERALLI

DISSERTATIO MEDICALIS

IN A U R A L I S

D E

FERRIS PURPERALLI

.....

DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS, 8  
DE  
FEBRE PUERPERALI:  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
SOMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit  
HENRICUS SLAUGHTER,  
ANGLUS.

Sin aliquando necessitas nos ad ea detruferit quae nostri ingenii non  
erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non  
decore, at quam minimum indecore, facere possimus. CIC. DE OFF.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

---

M,DCC,LXXX.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURALS

DE

FEBRE PURPUREALI

QUAM

ANNENTE SUMMO NUMINE

*M<sup>o</sup> Leicester*

DR. GUILLIELMO ROBERTSON, S.S.T.P.

*from his humble serv<sup>t</sup>*

*The author*

ACADEMIAE MEDICAE

ET FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMUS IN MEDICINA HONORATUS

ET ET LEGITIME CONFERENDUS

Ex officio examinatus

HENRIGUS SLAUGHTER

AGLUS

non inquit... non inquit... non inquit...

Ad lecturam...

EDWARD R. G. I.

WILLIAM B. ALTON & SONS

London: Typograph...

MCCCLXX

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERALI.

**F**EBRIS puerperalis sub finem diei fecundi, vel ineunte tertio, puerperas adoritur : Nonnunquam ad sextum, vel ultra, differuntur accessus febriles.

Horror et frigus prima fere ordine observantur symptomata ; in paucis violenta, frequentius levia, et paroxysmis inaequalibus redeuntia.

Pulsus parvi plerumque et celeres sunt, debilitate in nonnullis vix numerabiles; per-

A

raro

raro duri vel fortes, nisi iis quae validum et plenum corporis habitum fortiuntur.

Respiratio difficilis est, et saepius cum abdominis doloribus incrementa capit; aliis autem pulmones revera inflammantur.

Anxietate, suspiriis, laborant multae; quaedam ea urget debilitas, ut vix secundo vel tertio morbi die sese movere, vel in latus utrumvis decumbere, valeant.

Lingua nonnullis parum afficitur, nisi sub febris terminum, ubi aspera, sicca, subnigra evadit; aliis ab initio arida est, et his etiam fitis ingens observatur: Haec autem minus plerumque, quam in aliis febribus, aegras torquet.

Dolores hypogastrium, imo totum abdomen, occupant, quod tactu immaniter dolet; quibusdam, praecipue in regione iliaca, in pube vel inguine saevierunt: Plurimis epigastrium dolore torquetur ad ventriculum et costas spurias.

Vomitus violentus, frequens, viscidus, initio subflavus vel viridis, debacchante febre, aqueus et niger evadit. Diarrhoea e-  
jusdem

iusdem ferme indolis est: Sed neque diarrhoea nec vomitus perpetua lege febrem incipientem comitatur.

Lochia crebro nec deficiunt nec vitiantur; aliis evanescunt, vel in nigra et putrida mutantur.

Minuitur, imo supprimitur, lactis secretio; non autem in univcrsum id fit; nam ad mortem usque effluere aliquoties contingit.

Urina primis morbi diebus aegre ac parce fecernitur, valde rubet, nec, nisi mitescente febre, sedimentum deponere nota est.

Pervigiliis vexantur aegrae cum immani et perpetuo prope sincipitis dolore: Oculi simul tristes et hebetes apparent, a primis etiam morbi diebus.

Circa tertium vel quartum febris diem, haud raro tumescit abdomen, et simul adest vultus anxius, ferox, circumscriptus genarum et labiorum livor, narium expansio, dolores aliquot ante mortem horis minuantur, evanescunt.

Triplici



Triplici modo solutum morbum observavit Hulme, diarrhoea, nimirum, sudore, et urina. Whytt, per diarrhoeam solummodo certam fieri morbi solutionem contendit. Leake adeo per febris violentiam prostrari vires asserit, ut rarissime crisi sufficiant, nisi forte omenti suppurationem pro critico naturae molimine habeas, quae (cum in causa morbosa debellanda ipsam ad exteriora propellere non valeat) lethalem partium nobiliorum affectionem excitet.

### P A T H O L O G I A.

Cum puerperae hac febre correptae summo in periculo versentur, cumque haec, data coeli temperie, summas saepissime strages ediderit; a primis quasi medicinae incunabulis, ad nostram usque aetatem, pluribus notatam fuisse non mirabimur. Nec tamen (quod magis miratione dignum) de ipsius natura inter auctores convenit, de ip-  
fa

sa etiam mali sede litigatur, licet per dissectiones repetitas de ea certiores fieri summo-  
pere contenderunt.

Innumerae fere recensentur apud auctores de hoc morbo sententiae; quas omnes, in hujusmodi dissertatiuncula, numerare supervacuum forsan et inutile duceretur. Qui praecipui de hac re scripserunt, ii vel in uteri inflammatione morbi sedem collocant, vel in omento et intestinis maxime affectis ponendam contendunt. Hi etiam febre synocha plerumque vexari aegras affirmant. Alii vero febrem contagiosam semper, imo putridam esse judicant. Nobis illi maxime arrident, qui in omento et intestinis laesis affectionem localem sistunt: An vero inflammantur, an erysipelate laborent, brevi explorabimus.

Qui \* inflammatum uterum in hoc morbo opinantur ex doloribus hypogastrium et pubem primo obsidentibus, exinde ad reliquas corporis partes serpentibus, ex febre

\* Vid. Johnson de febre puerperali.

febre post partum solummodo observabili, ex lochiis plerumque suppressis, veterum sententiam stabilire aggrediuntur; speciose quidem, an vere, exsequentibus forsan judicare liceat.

Quod ad dolores attinet, rarius ii forsan, quam a plerisque existimetur, in hypogastrio occurrunt. Leake in epigastrico dolores oriri asserit, unde in totum abdomen diffundantur; et, quamvis in hypogastrio nonnullis incipiant, et situ et symptomatis ab inflammato utero discrepant, uti postea in diagnosi observabimus: Omentum hic etiam revera affici probant exempla quaedam a celeberrimo Hulme allata; ipse enim sex mulieres hac febre extinctas secuerat, quarum binae de hypogastrio dolente conquestae fuerant. His autem omenta in pelvem descenderant; uni praecipue per inflata intestina arcte in pubem appressum reperiebatur id viscus: Reliquis epigastrium angebatur.

Morbum hunc puerperis proprium esse omnino

omnino profitendum est; cur ita se res habeat, me postea demonstraturum confido.

Lochiorum suppressionem ex febris et alvinarum evacuationum violentia pendere, haud absimile est: Saepissime etiam ad mortem fluunt, nec in iis quibus suppressa fuerant, ulla saepe post mortem innotuit uteri inflammatio.

Ex his igitur argumentis, rejicienda videtur uteri inflammatio; maxime cum ipsae cadaverum sectiones omentum et intestina primario affici ostendant: In omnibus enim sectorum cadaverum exemplis, a celeberrimis viris Pouteau, Hulme, Leake, et Home memoratis, aliqua saltem aderat horum viscerum inflammatio, cum pauca tantum uterum affectum demonstrarunt. Imo suppuratione et gangraena exesum fuisse omentum, sano et intacto ipso utero, plurimae docuerunt dissectionum historiae. Uterum igitur magis, e partium tabefactorum vicinio, vel causis alienis, affectum, quam tibi adeo horrendae originem fere sanum praebuisse crediderim.

Hactenus

Haëtenus de fede mali, nunc de ipsius natura, inquirendum est. Duplex autem oritur de hac re sententia: Alii enim affectionem, ut jam diximus, inflammatoriam, erysipelatofam alii, contendunt.

Minor forsan adest quam in vera viscerum abdominalium inflammatione dolor, minor etiam vomitus, nec alvus astricta est: Pulsus etiam, in quibusdam puerperis, fortes et duri, nec tantis cruciatibus jaëtantur hac febre correptae, ac in vera enteritide contingit.

An igitur erysipelatosa? Sequentia habet celeberrimus Home: ‘ This appears  
 ‘ probable; 1st, As this fever has much the  
 ‘ appearance of erysipelas from the sensa-  
 ‘ tion of internal heat, from the quickness  
 ‘ of its course, &c. 2d, Purgatives and  
 ‘ Camphire are found useful in it as in ery-  
 ‘ sipelas. 3d, Reid had small external tu-  
 ‘ mors which seemed to have some resem-  
 ‘ blance to erysipelas, and were perhaps  
 ‘ partial attempts of nature to produce it.  
 ‘ 4th, The erysipelas at that time was epi-  
 ‘ demic

‘ demic in the Infirmary, and beyond all  
 ‘ doubt infectious, though it was never be-  
 ‘ fore thought to be so †,’ &c.

Insignis haec certe et viri et argumen-  
 torum gravitas : Erysipelatosam affectionis  
 topicae naturam vix probant tamen prae-  
 gressae rationes ; cum vero de hac re viris in  
 medicina praestantissimis me opponam, du-  
 bius quae huic opinioni oppugnare viden-  
 tur argumenta propono.

Ut igitur a primis ordiamur, calor ille  
 omne revera erysipelas internum comitatur :  
 Idem vero cuicumque cumulationi sangui-  
 nis notabili saepissime deberi, non minus  
 certum est : Opportune in exemplum ve-  
 niunt illae febres Vogellio Leipyriae dictae,  
 in quibus, dum extrema algent, interna u-  
 runtur.

Feliciter quidem purgantia in hoc morbo  
 adhiberi, neminem latet ; eadem vero cui-  
 cunque fere viscerum congestioni conveni-  
 re, omnibus pariter notum arbitror.

B

Cam-

† Home's Clinical Experiments;

Camphora olim a clarissimo Pouteau, nuperrime autem ab illustrissimo praelectionum clinicarum Professore laudata, in hac febre vix erysipelatosam ejus dispositionem ostentare videtur: Camphoram enim eximia virtute antiseptica praeditam novimus; hinc morbis contagiosis, iis praecipue qui in putredinem vergunt, praeprimis utilem\*.

Tubercula illa supra commemorata, quae erysipelatis speciem retulerunt, dum simul is morbus in nosocomio contagiosus erat, et similem febris indolem indicasse videntur. Sed nec istae rationes huic sententiae stabilis sufficiunt: Nam, in plurimis morbis malignis, talia oriuntur exanthemata, quae pessimam saepe ipsorum indolem arguant. In pleuritide autem, erysipelas morbum non raro solvit: Ex illustrissimo etiam Professore videmus obstetricem, cum  
fervula,

\* De camphorae virtute antiseptica sic loquitur Culenus, in capitulo de pestis praeventione.

‘ If any thing is to be expected from antiseptics, I think camphire, whether internally or externally employed, is one of the most promising.’

servula, quae puerperarum curam gesserat, febribus exinde corripitur; nec ulla tamen de eruptione erysipelatoſa mentio fit, quae his etiam in aliqua corporis parte apparuiſſet, ſi febris haec contagioſa ſimul et exanthematica fuiſſet.

Praecipuis jam de ſede mali recensitis auctorum ſententiis, breviter quae de febre comitante ſenſerint abſolvemus. Alii contagioſam, inflammatoriam alii, affirmant; ab ipsis autem febris inflammatoriae fautoribus nonnunquam in contagioſarum claſſem abire, in confeſſo eſt: Reſtat igitur ut argumenta inveſtigemus, quibus inflammatoria eſſe confirmatur. Juvat hic celeberrimi in arte viri verba in medium proferre \*:

“ The child-bed fever, when produced by  
 “ a diſtemperature of the air, &c. may at  
 “ laſt become infectious; but, when it on-  
 “ ly ariſes from ſuch accidental cauſes as  
 “ have already been enumerated, and which  
 “ are confined to particular habits and con-  
 “ ſtitutions,

\* Vid. Leake.



“stitutions, it will end where it began,  
 “and never communicate itself to a se-  
 “cond person.”

Causae certe inflammatoriam esse febrem in quibusdam demonstrant: Sic ex infelici excalescentium usu, ex lecto citius relicto, aëris frigidi accessu, subitis et violentis animi motibus, febrem provenisse testantur omnes. Idem et suadere videtur morbi historia; nam pulsus saepe durus est et validus, sitis ingens, cutis arida. Ex consideratis autem medendi consiliis, a Leake et Johnson feliciter usurpatis, vix dubitandi locus remanere poterit. Uterque enim venae sectiones et regiminis antiphlogistici usum commendat; Leake haec remedia omnibus in hac febre hucusque tentatis praetulit. Nec latet interea, febres nonnullas putridissimas ab inflammatione incipere. Ægre hae tamen venae sectionem admittunt, nunquam, ut puto, liberrimas illas sanguinis vacuationes quibus haec febris oppugnata fuerit. Harum pulcherrima reperiuntur apud Leake et Van Swieten exempla.

empla. Prior de puella memorat, quae febre puerperali simul et pleuritide vexabatur: Hanc, vena quinquies secta, e morte eripuit. Van Swieten ex Tulpio sequentem habet historiam: “Dum octavo a partu die acerbissimus lateris dolor corripuisset puellam, Tulpius, cum identidem novis insultibus urgeret dolor, ter pedis et quinquies brachii venas solvere debuit. Tantam autem sanguinis jacturam non solum toleravit, sed et ingens alvi profluvium sustinere debuit, antequam integre debellaretur morbus.”

Perpensis jam, pro genio et viribus, quae de hoc morbo praecipue senserint recentiores, quid nobis ex assidua eorum perlectione visum fuerit, paucis enarrabimus.

Affectionem localem ex magna parte mutatae post partum circulationi cum Leake tribuendam censeo\*; contractis enim utero ejusque vasis, sanguis minori copia in ista derivatur; summota etiam uteri pressura,  
sanguis

\* Vid. Leake on child-bed fevers.

sanguis in vasa contigua tanta velocitate impingit, ut eorum resistendi vires facile superet, vehementerque distendat: Unde dolores ac febres excitantur, praecipue autem in omento et intestinis, ubi vasa plurima, eaque laxa, inferuntur. Inflammationes autem ex tali dispositione non nasci, per ipsa hujus febris symptomata probatum credimus. Hinc congestionem magis, sive inflammationis id genus celeb. M<sup>r</sup>Bride Passivum dictum, oriri verisimile est; convulsivis enim uteri, diaphragmatis, et musculorum abdominalium motibus, inter partus labores agitantur, debilitantur laxa omenti vascula. Paucis post partum horis, ad naturalem magnitudinem regreditur uterus; exinde omentum solito adminiculo privatur, aliaque hinc profluit debilitatis origo: Talem etiam laxitatem ipsi affectionis limites indicant, quae omento et intestinis, utpote laxioribus frequentius, rarius autem peritoneae membranae firmae, durae communicetur: Sed in omento potius quam intestinis malum saeviisse constitit, laxiore, scilicet,

scilicet, nec firmo quovis viscere sustentato. Diarrhoea forsan laxatas vaforum extremitates arguit.

Ipsi dolores congestionem notant; nam, ut celeberrimi Whyte verbis utar, “The patients complain chiefly of a tension, foreness, and tenderness of the belly, &c.”

Ipsa denique materiei in abdomine effusae indoles vasa exhalantia, laxa, debilia, enunciare videtur. Et, cum effusi fluidi extent exempla, dum nulla viscerum affectio oculis detegeretur, certe hanc non nisi a partium relaxatione ortam fuisse credendum est.

Si talis in omnibus puerperis obtineat dispositio, facillime explicatur absoluta hujus morbi a quavis febre efformatio. Febres enim prope omnes, sive contagiosae sive inflammatoriae fuerint, ab horrore incipiunt\*; simul secretiones perspirationis et urinae minuuntur; sic fluida majori copia

\* Vid. Leake.

pia versus interna derivantur, et, simul aucta fluidorum ad solida ratione, impetu majori in vasa debilitata impingunt. Quantum vero valeat mutata haec fluidorum circulatio docet intermittentium exemplum, quibus schirri in partibus antea sanis progeneri fuerint, nullis postea remediis superabiles. In ipsa etiam febre puerperali, elucet horripilationis effectus; quotiescunque enim repetuntur horrores, semper id fit cum notabili vomitus et diarrhoeae exacerbatione. Eodem forsan spectat, quod cutis arida semper humida pejor fit. Dolores igitur, diarrhoeae et vomitus, aequae febris inflammatoriae ac contagiosae symptomata sunt, ex peculiari puerperarum habitu oriunda.

Videtur autem abdominis affectio in nonnullis idiopathica; multi enim, et fide digni, abdominis dolores febrem praecessisse memorant: Multas etiam causas excitantes in abdomen tantum agere perspicuum est. Abdominis nimirum laesiones, lectus nimis cito relictus, fasciae arctius abdomini circumdatae,

circumdatae, irritando agent: Unde fluida in vasis irritatis cumulantur, quod in partibus adeo vitae necessariis diu sine febre continuari nequit: Hinc pulsus frequens, durus, validus, cutis arida, &c. in valida temperiei foeminis; cum autem per partus labores, per lochiorum effluxum, debilitentur puerperae, ita et pulsus plerumque debiles, vacillantes, inaequales erunt, cum summa virium jactura.

### D I A G N O S I S.

Cum morbi numero fere in infinitum au-geantur, fieri vix poterit quin plurimorum communia interveniant symptomata. Unde ingens audit diagnoseos utilitas. Febris puerperalis signa, doloribus partui supervenientibus, febris lacteae, et hysteritidi, maxime affinia videntur.

C

Dolores

Dolores autem illi et situ discrepant, et magis limitantur; quin magis remittentes, minus iidem febriles observantur.

Febris lactea hoc distat a puerperali, quod in priori abdomen tactum non refugiat; in posteriori vero, mammae nec tensione nec duritie urgeantur, nec dolores a mammis ad axillas emicare observati.

In hysteritide plurima occurrunt quibus a febre nostra facillime dignoscatur. Nam in puerperarum febre nullus adest gravitatis sensus, non tumor, non dolor pulsatilis, profundus, nec os uteri tactu dolet, nec alvus astringitur.

### P R O G N O S I S.

Eo magis discrimen habet haec febris, quo citius partui supervenit; multum etiam causarum indoli et durationi debetur. Periculum certe movent incuria et excalescentium usitata, sed perniciofa, exhibitio.

Pulsus

Pulsus celeres, parvi, debiles, praecipue si simul respiratione contracta difficili laboret aegra, morbum exitialem denunciant. Si pulsus rariores fiunt et pleniores, in melius rem vergere indicio est. Variabiles fidem non admittunt. Nec aliorum symptomatum remissioni fidendum est, ni minuat pulsuum frequentia.

Si tumor abdomen occupet, purgantibus non auferendus, simulque anxia sit aegra, cum faciei et labiorum livore, si subito et sine causa evidente abierint dolores, praesentissimam mortem facile praevideris.

Quae putredinis signa patent, petechiarum, dejectionum foetidarum, subnigrarum, exemplo, in nulla non febre urgentis periculi indicationem praebere, neminem latebit.

Inquietudo, membrorum molestia, erysipelas externum, magnam febris violentiam, malignitatem denotant.



## P R O P H Y L A X I S.

De morbi praeventione fufius tractavit illuſtriſſimus Whyte: Omnia forſan de morbo evitando principia tribus his continentur; in contagio ſcilicet, ejuſque cauſis praediſponentibus, debellandis; in diatheſi phlogiſtica, per debita remedia expugnanda; tum ea omnia praecavendo, quae congeſtiones in viſceribus abdominalibus excitent. Quaedam hic occurrunt ſpecialim nominanda, quae evidenter ſub praecedentibus indicationibus cadunt.

*Imo*, Faecum retentionem maxime nocere, teſtantur omnes. Hulme puerperas omnes, hac febre correptas, maxime in periculo verſari ait, quibus ante partum alvus tarda fuiſſet. Unde curandum cenſet Whyte, ut quotidie ſolvatur alvus (ni ſpontee deponat) per clyſmata laxantia vel cathartica

thartica mitiora, si priora minus respondeant, vel ab aegris rejiciantur.

2do, Lochiorum in utero cumulationi praevenitur, si puerperae saepius de die erectae sedeant, si capite et humeris (quantum id commode fiat) elevatis decumbant: Suppressis emmenagoga stimulantia exhiberi perniciosissimum.

3tio, Quantum valeant animi affectus in corporibus sanissimis turbandis, omnibus notum arbitror: Sedulo igitur evitanda ea quae iram, tristitiam, metum, gaudium moveant, vel aegras quocunque modo concitent.

4to, Debilitas et contagioni et congestioni favet. Curatur, si gravidis instet per aquas spadanas, et corticem Peruvianum; juvabit etiam exercitium leve sub coelo puro, aperto, cum diaeta plena, roborante.

Sin vero a nimio lochiorum fluxu debilitentur puerperae, infusum corticis exterioris aurantium, cum cortice Peruviano et elixir vitrioli, rite celebrantur, et cuivis puerperii tempori aptantur.

5to, Si turbæ in systemate concitentur, pro variata causa, diversa exigetur medela. Opiata plerumque huic scopo sufficiunt. Multum prædicantur etiam a celeb. Hamilton, A. O. P. castorei virtutes; somnumque ab eo (modo recens in pulverem redactò) inductum, sæpe post opium, spe vana, repetitum memorat.

6to, Humiditatem, calorem, frigus, sedulo vitanda volunt practici; qui autem atmosphaerae humidæ subveniatur, haud ita constat.

### METHODUS MEDENDI.

Horripilationes moderandas volunt medici per calida externe applicata, per diluentia levia interne etiam exhibita.

De venaesectione multum discrepant; hi etenim nunquam, hi quibuscunque fere hac febre laborantibus ministrandam contendunt:

dunt : Alias prodesse, nocere alias, recte, ut videtur, commonet illustrissimus Home. Si febre contagiosa laborent puerperae, obnoxiam plerumque futuram esse vix dubium est. Si vero, cute arida, siti ingente, dolore lateris pungente, pulsu forti, frequente, corripiatur aegra, proderunt forsan et repetitae vaenaesectiones.

Alvus in hoc morbo semper aperta servanda est ; hinc commendantur clysmata ex saccharo culinari cum aqua tepida ; purgantia ex sale cathartico amaro, ex oleo ricini, cremore tartari, aliisque purgantibus quae sine stimulo alvum solvunt.

Si nausea vexentur aegrae, emetica jure propinantur, sin minus id eveniat, omnino supervacua videntur.

Quando, urgente nausea, vomitus per delirium vel plethoram prohibetur, juvabunt forsan haustus salini effervescentes. Vomitus ex vitiosa bile molestum levabit radix columbo, ad drach. semis. adhibita, cum pari tartari vitriolati quantitate, si alvus tardior evaserit.

Diarrhoea

Diarrhoea spontanea per diluentia, refrigerantia, acida, antiseptica, promovetur. Nonnunquam vero ex mitissimis etiam (tanta est irritabilitas) stimulantur intestina; commode hic adjiciuntur sperma cete, et gummi Arabicum, quae partes adeo mobiles mucilagine sua obvolvunt.

Si diarrhoeae succumbat aegra, vires per nutrientia sustinendae sunt; hujusmodi sunt sago, salep, quibus immisceatur exigua spirituum ardentium quantitas.

Moderanda simul, non supprimenda, diarrhoea per clysmata ex amylo cum pauxillo tincturae thebaicae, per confectionem damocratis, cardiacam, &c. per tartarum emeticum cum opiato, quae simul ad superficiem determinant: Ad vires restituendas proderunt elixir vitrioli et cortex Peruvianus.

Si putredinis symptomata appareant, camphora utilissime exhibebitur: Laudantur etiam aër moderate frigidus, acida vegetabilia, mundities, manuum, faciei, dentium lotiones,

lotiones, lintea quotidie mutanda, nisi id sudores vetent.

Perspiratio per diluentia augetur, efficacius vero per ipecacuanham opio admixtam, quae bis terve de die, cum haustibus salinis interpositis, praescribantur.

Abdominis dolores levant cataplasmata emollientia, fomenta, forsan epispastica camphorata, vel rubefacientia, Leake, ad sedandos dolores, opium exhibendum jubet.

Tussis et dyspnoea per vesicatoria inter scapulas, per solutiones sp. cet. vel guttulas aliquot tincturae thebaicae, sublevantur. Laterum dolores per vesicantia parti dolenti applicata, per radicem etiam fenekae, ad drach. semif. bis terve de die assumptam, minuuntur.

F I N I S.

locos, inter quosdam mutanda, nisi id  
tubores veteri.

Parturatio per diuinitis augetur, officia  
eius vero per ipsecusumham opio admittam,  
quae his terre de die, cum haustibus salinis  
incipiunt, parafidantur.

Abdominis dolores levant cataplasmata  
emollientia, torquent, forsan epispastica  
cantharata, vel rubefaciencia. Leues, ad se-  
dandas dolores, opium exhibendum iubet.

Tussis et dyspnoea per vetchatorem inter  
respirata, per solutiones sp. cet. vel guttu-  
las aliter tincturas thebais, subleuantur.

Latarem dolores per vesicantia parti dolenti  
applicata, per radicem etiam leuicam, ad  
tracta leuif, his terre de die aliamquam

...

